

Vg  
1204

R.A.

I  
S  
A  
an  
ce  
ne  
s

de

str  
tu  
bu  
pro  
De

am  
cet



FORMA  
INQVIVISIONIS HIS=

panicæ instituta in infe=

ríori Germania

Anno

1550.

Psal. xxxvi.

Gladium euaginauerunt im=

píj, intenderunt arcum suum, ut

deiciant pauperem & inopem,

ut trucident rectos corde.

Gladius eorum intrabit in

corda ipsorum, & arcus eorum

confringetur.

F O R M  
I N Q U I S I T I O N I S

in quibus inquisitio in  
noni Germania

Anno

1550

Praes. xxv

Gladium euagelistarum  
in interdictum et in  
deseruit pariter et in  
ut erudient rectos cor  
Gladus eorum in  
corde ipsorum, et arcus eorum  
confringentur.

E  
d  
E  
h  
a  
n  
t  
s  
f  
u  
e  
a  
f  
e  
A  
p  
b  
E  
te



EPISTOLA PII CVIVS  
dam uiri scripta ex celebri Vrbe  
inferioris Germaniæ, de  
Hispanica inquisi-  
tione.

**H**ic iam plena rumorum sunt  
omnia propter mandatum in-  
quisitionis, quod tamen adhuc  
hic nondum publicatum est. Habent  
autem inquisitores adhuc instructio-  
nem autoritate imperiali confirma-  
tam, ex qua patet, quid non technarum  
& astutiarum moliatur Diabolus per  
suos, ut destruat, perdat & dissipet uni-  
uersam Christi Ecclesiam. Dominus  
adsit nobis sua gratia & spiritu, ac de-  
struat omnia opera Diaboli, propter  
Iesum Christum Dominum nostrum  
Amen. Hæc exempla sunt uobis pro-  
posita & omnibus ditionibus, regioni-  
bus & ciuitatibus, ubi adhuc sonat uox  
Euangelij de Iesu Christo, Si constan-  
tes in confessione uerbi permanseritis,

A 2

nihil

nihil uobis periculi erit, pietas enim ha-  
ber promissiones uitæ præsentis & fu-  
turæ: Si uero in confessione Christi ac  
uerbi sui non constantes perstiterimus,  
& Diabolo aut suis uel latum pedem  
cedamus uel concedamus, in Interim  
suo, in Adiaphoris symbolis Antichri-  
stianismi, uel in alijs suis technis,  
actum est de tota Ecclesia Christi, ir-  
rumpet Diabolus in Ecclesiam & om-  
nia turbabit, cœlum terræ miscebit,  
has inquisitiones quoq; & similes tenta-  
tiones ac flagella inuehet in regionib⁹,  
ubi iam sonat læta & iucunda illa uox  
Sponsi ac salutis datoris nostri Iesu  
Christi: Et hæc omnia ad illum finem  
faciet Diabolus per suos, ut destruat,  
perdat ac perturbet Ecclesiam Christi  
dilectam, & omnem ornatum eius au-  
ferat, nempe uerum usum uerbi ac Sa-  
cramentorum Christi. Et quanto ma-  
gis Diabolo uel suis cedimus & minus  
confitebimur, tanto maiorem potesta-  
tem acquirat in nos Diabolus, & con-  
cedentur illi maiora, propter negligen-  
tiam confessionis. Quapropter uos  
Saxo

Saxones uiriliter agite, confortetur cor  
uestrum, plus timete æternas pœnas, q̄  
temporarias ac parui momenti, redde-  
tur uobis centuplum in hoc & in futu-  
ro sæculo, resistite Diabolo & suis, forti-  
fide, ac strenua cōfessione, & ecce fugiet  
uos, ac saluabimini ut tres illi pueri  
apud Daniele in fornace ignis. Nulla  
enim arma potētiora sunt ad fugandū  
Diabolum, & ad conatus suos profli-  
gandos & dissipandos quam oratio fi-  
deliū, ac confessio strenua uerbi Chri-  
sti: Nullæ res etiam in uniuerso mundo  
illi magis inuisæ & execrabiles sunt,  
imo damnum adferunt maius q̄ dicta  
precatio & confessio, Has in uobis om-  
nibus augeat & confortet suo spiritu  
Dominus Deus pater noster per & pro-  
pter Iesum Christum Dominum no-  
strum Amen.

Commendo me precibus uestris &  
uestræ Ecclesiæ, ut Dominus Deus pa-  
ter semper adsit mihi suo spiritu p̄pter  
Iesum Christum propitiatorem nostrū  
Amen, ut conseruet me in uera fide &  
obedientia uerbi sui, Amen.

A 3

Spiri-

Spiritu principali confirmet uos  
Dominus, ut in pura doctrina & con-  
fessione uerbi Christi semper fideles  
ac strenui inueniamini, & hoc  
propter Iesum Christum  
Dominum no-  
strum A-  
men.

Die 16. Augusti Anno  
1550.

Instru



# INSTRVCTIO PRO Inquifitoribus.



V M S A C R A C A E  
sarea Maiestas pro ea  
deuotione, quam erga  
Deum, sanctam Ecclesi-  
am, Religionem Christi-  
anam, & uniuersos Chri-  
sti fideles ex debito Im-

perialis officij gerit, multis modis conata sit, om-  
nes haereses & errores, qui hodie in diuersis mun-  
di partibus pullulant, extirpare, & praecipue pra-  
cauere, ne boni, & simplices Christiani, a Pseudo-  
prophetis, qui sub ueste ouili tanq̄ lupi rapaces,  
discurrunt, ad seducendos iustos & pios, eorum  
peruersa dogmata sub specie pietatis illis incul-  
cantes, seducerentur. Et diuersas fecerit constitui-  
ones, ordinationes & edicta, praecipue in ditioni-  
bus inferioris Germaniae, suae Maiestatis ex succes-  
sione suorum praedecessorum subiectis, ac alijs suae  
Maiestati postea incorporatis & acquisitis, quae  
strictè obseruari & debitae executioni mandari uo-  
luit, prout & adhuc uult.

Et cum per experientiam, rerum Magistram,  
compertum sit, non sufficienter negocio tam ar-

A 4

duo esse

duo esse satisfactum, precipue propter nonnullos malos sacerdotes & viros Ecclesiasticos, qui non obstantibus huiusmodi Ordinationibus & edictis, simplices populares & Laicos peruersa eorum doctrina inficere, & à uia ueritatis & unionis sanctæ Matris Ecclesiæ seducere non formidant.

Ideo sua Maiestas huic malo mederi uolens in prouincijs inferioris Germaniæ suæ Maiestati ratione sui patrimonij subiectis, certos inquisitores hereticæ prauitatis, uiros doctos & probatos, inculpatae uitæ & famæ, ordinari & designari curauit, quibus data est ampla potestas contra omnes hereticos & hæresis suspectos, eorumq; fautores & receptores inquirendi, procedendi, corrigendi, & puniendi, nec non procedendi in Curia seculari iuxta formam & tenorem literarum Apostolicarum desuper confectarum.

Et ut hæc tam sancta & tam necessaria inquisitio, melius & commodius fieri posset, sua sacra Maiestas tanquam Dominus supremus inferioris Germaniæ, ordinauit & statuit ea, quæ sequuntur.

Imprimis ut prædicti inquisitores & commissarij seu alter eorum assumpto secum Notario uiro integro & experto ad exercitium actus Notariatus in his partibus admissio, debeant expensis  
sue

illos non stis, rum onis lens tati ores in= cu= nes res adi, lari ca= in= sa= io= un= m= rio No= isis sue  
sue Maiestatis uisitare Prouinciam sibi commis=  
sam, & diligenter tam apud officiatos sue Maie=  
statis, quàm alios uiros pios & integros inquire=  
re, si qui sunt hæresi infecti, aut de ea uehementer  
uel ex probabilibus coniecturis suspecti: Similiter  
si aliqui sub se habeant, aut legant libros prohi=  
bitos & damnatos, aut teneant conuenticula, in  
quibus de sacra scriptura, aut Religione Christia=  
na disputent, aut communicent, deq; illorum fau=  
toribus & receptatoribus, suamq; informationem  
per Notarium in scriptis authenticè redigi curare,  
quæ diligenter custodiri debeat, ut ad eandem  
quoties necesse fuerit, recursus ac relatio habeat=  
tur, debentq; dicti inquisitores & commissarij ex=  
aminare testes, per eos audiendos in forma Iuris,  
præstito solenniter iuramento de dicenda ueritate,  
omni odio & fauore exclusis, & illos ne aliquem  
accusent ac deferant per inuidiam, aut aliam ali=  
quam occasionem, admonere & diligenter inter=  
rogare de causa scientiæ suorum dictorum, & il=  
lam in informatione inserere, ne uiri boni iniuste  
scandalizentur.

Et si aliqui apud Inquisitores compareant  
uolentes alium deferre super hæresi, ea tamen con=  
ditione, quod nomen delatoris celabitur, & infor=  
mationi non inseretur, ut sæpius contingit, illos  
tanquam testes non recipient, neq; eius delationem

A S

infor=

Informationi inserent, neq; ex huiusmodi delatione  
contra aliquem procedent, seruabuntq; secretè ea,  
quæ eis deferentur, absq; eo quod publicabunt  
delatores, nec etiam depositiones testium, nisi qua-  
tenus ad procedendum contra reos de iure fuerit  
necessarium, tenebuntur tamen omnes audire, & si  
per alios delatio uera probari poterit, ex depositi-  
one illorum si sufficiens sit, contra delatum proce-  
dat, nullo habito respectu ad delationem huiusmo-  
di, quæ pro nulla reputabitur.

Et si prædicti Inquisitores commissarij com-  
periant aliquos, qui per inuidiam, aut alia occasio-  
ne alios iniuste detulerint, hoc indicabunt Magi-  
stratui eius loci, aut concilio prouinciali, & ipsi  
contra tales calumniatores procedi curent.

Item dicti Inquisitores & Commissarij po-  
terunt uocare coram se, quoscunq; subditos Cæsa-  
ræ Maiestatis, cuiusq; authoritatis, qualitatis, aut  
conditionis fuerint, aut quacunq; authoritate aut  
potestate utantur, etiamsi sint præsides, consili-  
arij prouintie, aut alij officiales suæ Maiestatis, si-  
ue Burge magistri, Scabini, aut de Magistratu loci,  
ad præstandum solenne iuramentum de dicenda  
ueritate super interrogandis, & deponendo ea,  
quæ uerè sciunt & finaliter, si sciant aliquos hæ-  
resim=

resi infectos, aut de ea uehementer suspectos.

Et si aliquos offendant, qui in testimonio reddendo se difficiles reddant, aut deponere omnino recusent, illos admonebunt, quod si eorum monitis non obediunt, notabuntur tanquam fautores hereticorum, procedentq; contra illos tanquam fautores hereticorum in forma Iuris, aut poterunt illis mandare, sub certis poenis pecuniarijs pro eorum arbitrio moderandis, ut deponant, & nisi obediunt, uult sua Maiestas huiusmodi poenas irremissibiliter exigi.

Et si aliqui pertinaciter non formidantes poenam pecuniariam in sua recusatione persistant nolentes curam inquisitoribus deponere, si Laici fuerint, ut fautores hereticorum punientur, poena in edictis Cæsarijs contenta: Si uero Ecclesiastici fuerint, procedent contra eos dicti Inquisitores, prout ipsis iustum & æquum uidebitur.

Vult Cæs: Maiestas, & mandat omnibus & singulis præsidibus, consiliaribus & iudicibus bailiuis, maioribus scultetis, ac generaliter omnibus suis Officialibus, omnibusq; Magistratibus & subditis suis, ut in tam sancta & pia Inquisitione præfatis Inquisitoribus, Notario, & alijs suis officarijs & familiaribus assistant, omnemq; fauorem & auxilium præstent, quoties requisiti fuerint, omnemq;

nemq; diligentiam adhibeant, ne dicti inquisitores, Notarij, & alij sui officij, & familiares aliqua iniuria Reali aut Verballi afficiantur. Et si aliquos illos murmurantes inuenerint, illos apprehendant, & seuerè puniant, in exemplum aliorum, sub pœna indicta contra fautores Hereticorum, quam incurrent, si notabiliter negligentes in hoc apprehendantur.

Si dictis Commissarijs seu Inquisitoribus, seu alteri eorum per informationem sufficienter constiterit, & plenè probatum fuerit per duos testes, aut alios legitime, aliquem esse hereticum, & contravenisse constitutionibus, ordinationibus, seu edictis per Cæsarem ad extirpandos hereses promulgatis. Eo casu ipsi Inquisitores uel alter eorum reos apprehendi iubebit, ac sub fida custodia detineri, uel per Iudicem loci, uel per alios eorum arbitrio assumendos, quibus sua Maiestas uult per Iudices loci tam suos, quam suorum Vasalorum omnem dari assistentiam. Et si in hoc negligentes aut difficiles se reddant, punientur pœna contra fautores hereticorum indicta.

Ad hunc effectum Cæsarea Maiestas præfatis Inquisitoribus tradet literas potentes, quarum uigore dicti iudices, præmissa omnia facere & adimplere tenebuntur.

Ac man

Ac mandauit consilijs suis supremis, ac Pro-  
uincialibus, ut exemplariter puniant omnes et sin-  
gulos, qui in præmissis culpabiles aut negligentes  
inuenientur, sicq; provideant, ut sua Maiestas in-  
telligat, negocium hoc Inquisitionis per eos non  
impediri, sed promoueri, alioquin & in illos ani-  
maduerti iubebit.

Postquam autem Rei apprehensi fuerint, si  
Ecclesiastici sint, illos ducant sub fida custodia ad  
carceres Concilij Prouincialis uel ordinarij ac Di-  
ocesis loci, prout commodius eis uisum fuerit. In  
quo loco dicti Inquisitores, contra eiusmodi Reos  
procedant iuxta tenorem eorum commissionis,  
summatim & planè sine figura & strepitu iudicij  
& processu. Et instructi assument secum aliquem  
uel aliquos de consilio Cæsaris, per eos eligendos  
ad definiendum processum & condemnandum uel  
absoluendum Reum: Qui sic electi, tenebuntur ad  
requisitionem Inquisitoris processum uisitare &  
opinari ad condemnationem uel absolutionem  
rei. Quemadmodum & concilium ipsum Pro-  
uinciale super eiusmodi processum deliberare &  
sententiam dicere tenebitur, si ad hoc ab Inquisi-  
tore rogetur & requiratur.

Si uerò aliqui in præmissis se præbeant diffi-  
ciles, aut onus subire recusent, rescribent Inquisi-  
tores

tores Regine seu Consilio priuato, qui taliter pro-  
uidebunt, quod negocium Inquisitionis per eius-  
modi subterfugia non proteletur, neq; differa-  
tur.

Quando præfati Inquisitores, seu alter eor-  
um cum consilio aliorum per eum ex consilio  
Prouinciali aut alio consilio assumendo, declara-  
uerint aliquem esse degradandum & Curie secu-  
lari tradendum degradatione iuxta Tenorem  
Commissionis Apostolicæ facta, Consilium prouin-  
ciale uel idem præordinatus Iudex loci tenebitur  
statim & absq; aliqua dilatione, eiusmodi senten-  
tiam executioni demandare, prout de Iure.

Si uerò dicti Inquisitores seu eorum aliquis  
per suas informationes inuenerit aliquos Laicos,  
contrauenisse ordinationibus, Cæsareæ Maiestatis,  
illos communicabit alicui ex consilio Cæsaris in  
singulis Prouincijs, per illos ad hoc assumendo, ex  
cuius relatione, Consilium prouinciale iubebit  
eiusmodi Laicos apprehendi, & iuxta formam  
edictorum puniri. Ac ut hoc citra aliquod irre-  
gularitatis periculum facere libere queant, sedis  
Apostolicæ permissio super hac re expectatur:  
Interim uerò ubi opus uidebitur eius loci Inquisi-  
tores ad Informationes eiusmodi processuri, consi-  
lium Prouinciale pro aliquo sibi adiungendo in-  
terpella-



terpellare poterunt, cuius quidem adiuncti id erit officium, diligenter animaduvertere, ne quid contra Cæs: Maiestatis edicta ac ordinationes commissum comperiatur, ut si quid tale apparuerit, Iudici loci, seu consilio Prouinciali ac procuratori generali eas informationes communicent, qui iuxta edictorum tenorem contra transgressores debite procedere tenebuntur.

Videbunt ex informationibus Inquisitores communicatis, ut dictum est, si constiterit aliquos Laicos suspectos de hæresi, & aperte non probeatur, illos edictis Cæsar: Maiestatis contrauenisse, tunc Inquisitor contra eos procedat, iuxta formam Juris, usq; ad sententiam diffinitiuam, in qua ferenda, utetur consilio alicuius consiliarij Cæsareæ Maiestatis, uel alterius periti uel experti uiri, per consilium prouinciale ad hoc deputandi.

Similiter ubi Iudices seculares per processum coram eis factum contra accusatos de contrauentione edictorum Cæs: Maiestatis inuenerint accusatos non sufficienter conuictos ad subeundam poenam, in edictis contentam, alios tamen suspectos aut hæresi uehementer diffamatos, uel aliqua poena, à iure communi statuta puniendos, tunc processum communicabunt Inquisitori, ut consideret si

vet si contra illos ulterius erit procedendum, & eo casu absoluendo ab instantia iudicij secularis, remittent ad Inquisitorem.

Vetat etiam Cas: Maiestas ac inhibet omnibus consilijs provincialibus sub poena suae indignationis, ne suis mandatis aut literis processus aut informationis Inquisitoris, aut Iuris memoris aliquo modo resistatur.

Sed si quæ difficultas inter consilium Provinciale & Inquisitores seu Inquisitorem oriatur, Regina rescribatur, quæ pro qualitate negocij providebit.

Similiter non vult sua Maiestas, ut Inquisitores aliquo modo in exercitio Commissionum suarum per ordinarios loci seu eorū officiales impediuntur, cōtra quos nisi omnes obediant, censuras Ecclesiasticas iuxta Tenorem literarum Apostolicarū procedere poterunt, & si necesse fuerit Regina quæ illis omnem præstabit fauorem & auxilium, ne negocium tam pium sub hoc pretextu differatur. Vicissim & Inquisitores non debent aliquo modo impedire ordinarios seu eorum officiales in processibus per eos inchoatis aut inchoandis.

Si In-

Si Inquisitores unius prouinciae seu alter eorum per suas informationes inuenerit aliquos deferri haereticos alterius Prouinciae, statim hoc significabit Inquisitoribus seu Inquisitori prouinciae, in qua habitat taliter delatus & transmittet copiam huiusmodi informationis manu Notarij signatam, ut dictus Inquisitor contra delatum procedat, modo & forma praescriptis.

Item praefati Inquisitores & commissarij in uisitatione Prouintiae diligenter inquirent de curatis, si boni & synceri & Catholici fuerint, & si inuenerint aliquos mercenarios seu uicecuratos, qui aliquando Religiosi fuerint, & eorum habitu curas administrant, illos amoueri, & alios in illorum locum subrogari à Iudice Ecclesiastico obtinebunt.

Si uerò inueniant aliquos curatos concubinario notatos, aut scandalose uiuentes, aut planè indoctos & inidoneos, illos deferent Episcopo, & suis officialibus, illos admonendo suis literis & curis. De idoneis, doctis & probis curatis prouideant, reseruata nihilominus cuiq; sua collatione & praesentatione, destituendo notatos concubinarios aut scandalose uiuentes, seu alios planè indoctos. Et nisi Episcopi & sui officiales eorum monitis obediunt, Reginae significabunt.

B

Praefati

Praefati Inquisitores & inquirent de libris  
qui uenduntur per Bibliopolas aut imprimuntur  
in locis Prouinciae eis destinatae, si aliquos habeant  
damnatos aut suspectos, & similiter de tota con-  
uersatione & fama impressorum & Bibliopola-  
rum. Et si quid in his corrigendum inuenerint,  
consilio Magistratus loci aut consilij Prouincia-  
lis corrigant, & si aliquid illis fiat obstaculum,  
Reginae indicabunt.

Item hoc praecipue laborabunt dicti Inqui-  
sitores, ne hoc negocium tam pium, quod est diffi-  
cile, reddant impossibile, neque nimis conuiueant,  
Primo remedium adhibeant in his quae sine pe-  
riculo Religionis & incommodo Reipub: tole-  
rari non possunt, tantamque adhibeant diligenti-  
am, ut omnibus persuadeant, se non quae sua, sed  
quae Christi sunt, quaerere, hoc solum conantes,  
ut haec Ditiones inferioris Germaniae ab omni er-  
rore purgentur, omnesque ab haeresi seruentur.

Vt autem negocium hoc Inquisitionis me-  
lius procedat, uult sua Caes: Maiestas, ut dictis In-  
quisitoribus & suis officialibus de competenti sa-  
lario suis expensis provideatur.

Quantum uero attinet ad expensas appre-  
hensio-

hensionis & captiuorum, illæ soluentur per Iu-  
dices loci, qui reos apprehendant, quæ illis resti-  
tuentur in rationibus suis, quas singulis annis red-  
dere tenentur, & in hoc per literas rationali-  
um illis providebitur sic: Signatum Char-  
les & subscriptum, sic ordinatum per  
suam Maiestatem Bruxellis ultima  
die Maij, Anno 1550.  
& signatum Vor-  
reken.

B z

Questio

QVÆSTI=

ONES DE QVIBVS IN=

quisitores in inferiori Ger=

mania, Christianos

examinant.

1. An credat iure diuino licitum esse præstare iuramentum.

2. An credat iure diuino se obligari per iuramentum, dicere ueritatem super proponendis de fide.

3. An credat hanc solam esse Ecclesiam Catholicam, in qua est unanimes & communis professio doctrine Euangelicæ & Apostolicæ, secundum intellectum & expositionem sanctorum patrum, & dijudicationum & determinationum generalium Conciliorum ab Ecclesia receptorum, & in qua est administratio Sacramentorum, secundum Catholicam traditionem in Ecclesia occidentali, hætenus piè & laudabiliter obseruata, quæ non in angulo aliquo orbis terrarum conclusa, sed in

sed in unitate doctrinae & Sacramentorum com-  
munionem in uinculo pacis diffusa est, & propaga-  
ta per totum terrarum orbem.

4. An credat in hac Ecclesia Catholica nos  
omnesq; alios esse, qui in hac concordia, communi-  
one, & pace sub obedientia unius summi Pontificis  
& sanctae sedis Apostolicae uiuimus.

5. Num putet e diuerso Ecclesiam esse Luthe-  
ranos, seu Buceranos, uel horum similes Sectarios,  
qui Ecclesiam, quam nos, ut Apostolicam & Ca-  
tholicam agnoscimus, execrantur, atq; adeo non  
CHRISTI, sed Antichristi Regnum uocare  
non uerentur.

6. Num sentiat: Iustificationem hominis con-  
stare ea sola fide, qua quis credit sibi non imputari  
peccata propter Christum, An potius nobiscum  
credat iustificationem esse communicationem iu-  
sticiae Christi, non solum eius imputationem, sed  
actualem regenerationem & renouationem mentis,  
per spiritum charitatis, quo demum per fidem ac-  
cepto, ex iniustis iusti efficimur & quae iusta &  
sancta sunt operamur, peccatis Christi merito con-  
donatis.

7. An credat quòd peccatum originale per iustificationem, quæ fit in Baptismo uirtute Sacramenti, non tantum tegatur, sed & tegendo auferatur & dissoluatur, ut uerum sit dicere, Omni peccato caret iam Baptisatus, est mundus totus: Vel è diuerso existimet, peccatum hoc realiter adhuc in Baptisato superesse, hoc est, concupiscentiam, quæ manet in renatis post Baptismum, non tantum fomitem esse peccati, sed reuera peccatum, tale tantumq; quod sua natura omnes pariter tam infantes baptisatos, quam adultos damnaret, (etiamsi nullus postea accedat consensus) nisi non imputaretur, pro qua etiam non imputatione à Baptismo continuè orandum sit.

8. An credat liberum Arbitrium peccato primi hominis oppressum, per renouationem quæ in Christo Iesu est in baptismo, uerè liberari, ita ut sic præuentum à Deo per gratiam, quæ est in CHRISTO IESU, exinde tam in ipsa iustificatione, quam in bonis operibus, tanquam partiale agens concurrat, et cooperetur Deo, & ea ratione cum gratia Dei causa meritorum fiat.

9. An credat baptisatum seu regeneratum assistente et adiuuante gratia, posse facere seu implere mandata Dei, secundum eã rationem impletionis, quam



quam exigit à nobis Deus, quam diu sumus in hoc  
mortali corporis tabernaculo.

10. An credat hominem renatum & adul-  
tum per obseruationem mandatorum Dei, seu bo-  
nis operibus & fide ex dilectione Dei factis pro-  
mereri regnum Cœlorum.

11. An credat hominem propter opera mala  
condemnandum esse ad ignem æternum, etiamsi ha-  
beat tantam fidem, qua & Prophetare & Dæmo-  
nes eijcere, et montes transferre possit, nedum eam  
qua credit sibi remissa peccata propter Christum.

12. An credat hominem tantisper manere in  
morte, quam diu fides eius non uiuificatur, uel ac-  
cenditur per charitatem.

13. An credat septem Sacramenta esse Eccle-  
siae, uidelicet: Sacramentum Baptismi, Sacramen-  
tum Confirmationis, Sacramentum Eucharistiae,  
Sacramentum poenitentiae, Sacramentum ordinis,  
Sacramentum matrimonij, & Sacramentum ex-  
tremæ unctionis infirmorum, & quòd hæc Sacra-  
menta conferant gratiam suscipienti, non ponenti  
obicem.

14. Vel an e' diuerso credat tantum duo esse  
Sacramenta : Baptismum & Eucharistiam.

15. An credat differre Baptismum Christi à  
Baptismo Ioannis, & quomodo.

16. An credat in administratione Baptismi ad-  
hibendas esse solennes orationes & Cæremonias  
Ecclesiasticas, quales sunt : Exorcizatio, & Ex-  
ufflatio Diaboli, crebra crucis impressio, manus  
impositio, datio consecrati salis, apertio aurium &  
narium cum salina, unctio tam ante, quàm post  
Baptismum, consecratio Baptismi more solenni,  
abrenunctiatio, & professio fidei per susceptores,  
non suo sed infantis nomine, & impositio albæ ue-  
stis. Et quod has Cæremonias extra tempus neces-  
sitaris contemptim omittens, Schismaticus cen-  
sendus sit.

17. An credat usum Chrismatis esse de neces-  
sitate Sacramenti confirmationis, illudq; successisse,  
in locum corporalis descensionis spiritus Sancti,  
post tempora Apostolorum, & Apostolica tra-  
ditione.

18. An credat administrationem huius Sacra-  
menti solis Episcopis esse reseruatam.

An crea

19. An credat uirtute huius Sacramenti infantibus uel alijs confirmatis conferri uirtutem constantiae, professionis fidei, patientiae in tribulationibus & robur uincendi astus Diaboli, & perseverandi in bonis operibus.

20. An credat in Eucharistiae Sacramento sub qualibet specie esse uerum corpus & uerum sanguinem Domini nostri Iesu Christi: Substantia panis & uini aqua mixti, in corpus & sanguinem Christi, uirtute uerborum consecrationis transsubstantiari.

21. An credat ueritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia esse permanentem, & non in solo usu sicut Baptismi Sacramentum, consistere. Et propterea posse nos, & debere hoc Sacramentum pro infirmis reseruare, & in eo Christum illis praesentialiter se exhibentem adorare.

22. An credat hoc Sacramentum sine graui scelere alibi posse confici, quam in locis consecratis, & ad hoc rite adornatis, seu ab alijs, quam a sacerdotibus ieiunis, idemque Sacramentum post factam consecrationem sumentibus.

23. An etiam credat Laicis sufficere ad salutem com-

B 5

tem com-

tem communioem sub una tantum specie, ut sub  
qua reuera continetur totus Christus.

24. An credat Missam esse Sacrificium noue  
legis, in qua non solum conficiatur, sed & Deo  
patri representatiue offeratur, non cruento qui-  
dem sed incruento & commemoratiuo Sacrificio,  
corpus & sanguis filij sui tam pro uiuis quam pro  
defunctis.

25. An credat Lutheranos ac Buceranos hoc  
Sacramentum extra communionem Ecclesie Ca-  
tholice omisso sacro Misso Canone, in quo forma  
Consecrationis Ecclesie concredita continetur,  
posse conficere.

26. An credat in Canone Missae pro Romanae  
et Catholice Ecclesie summo Pontifice oradū esse.

27. An credat in eodem habendam esse me-  
moriam sanctorum, qui cum Christo uiuunt & in  
eorū communionem uota nostra reddenda esse Deo.

28. An credat Sanctos cum Christo regnan-  
tes non solum in hac uita imitatione, sed laudis  
quoq; & honoris exhibitione & meritorum &  
intercessionis pro nobis apud Deum attributione,  
& ut

sub  
oue  
Deo  
qui=  
cio,  
pro  
hoc  
Ca=  
ma  
ur,  
ine  
se.  
ne=  
in  
o.  
n=  
dis  
e,  
ut

Et ut Deum pro nobis orent, imploratione itinerandos esse.

29. An credat hoc Altaris sacrificium ad hæc orationes et Eleemosinas fidelium prodesse defunctis, qui fideles decesserunt ad purgationem macularum in hac uita contractarum, et ante obitum nondum satis expiatorum, et pro absolutione poenarum temporalium.

30. An credat post hanc mortem talem aliquem esse ignem, in quo eiusmodi fideles anime purgentur.

31. An credat tres esse integrales partes poenitentiae, relapsorum in crimina post baptismum, uidelicet: contritionem, confessionem Sacramentalem et satisfactionem ad remissionem poenae et culpae necessarias.

32. An credat enumerationem criminum saltem letalium et eorum quae augunt conscientiam, necessariam esse in confessione Sacramentali, quae fit et fieri debet Sacerdoti, modo haberi possit eius copia.

33. An credat satisfactione Ecclesiastica mereri

deri reliquijs peccati, mitigari seu tolli pœnas temporales & Ecclesiæ legi satisfieri, & propterea eam necessariam esse lapsis post Baptismum.

34. An credat Ordinem in Ecclesia esse Sacramentum, ita quod ille qui non est ordinatus, secundum ritum Catholicæ Ecclesiæ per suum proprium uel alium Catholicum Episcopum, de proprii Episcopi consensu, non possit efficaciter in Ecclesia Sacramenta Ecclesiastica ministrare, nec alia Ecclesiæ ministeria salubriter obire.

35. An credat sanctum Petrum fuisse Principem Apostolorum & Christi Vicarium, & Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ summum Pontificem, & tales quoque censendos esse, qui ei canonicè in Cathedra sua successerunt, & succedunt, quamuis sint longè inferiores merito.

36. An credat à tali Pontificis obedientia (excepta causa hæresis, siue schismatis) posse recedi.

37. An credat Matrimonium esse Sacramentum Ecclesiæ, & indissolubile uinculum unius uiri & unius uxoris, & eum qui priori uxori, antequam ea morte decedat, aliam superinduxerit, adul-

adulterum esse, etiamsi ex causa fornicationis di-  
missa sit.

38. An credat Matrimonium clandestinè  
contractum, accedente utriusq; contrahentis as-  
sensu, coram Deo uerum Matrimonium esse,  
ita quòd tali metrimonio fraudem  
faciens, adulter censèn-  
dus sit.

IMPRESSVM MAG-  
deburgæ per Michaelem Lot-  
therum. 4. Octobris.  
Anno .  
1 5 5 0.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

IMPR... M. A. G.  
Schubert...  
Anno...

Third block of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side.

Fourth block of faint, illegible text, appearing as bleed-through from the reverse side.








Fig. 1204. 6A

X 220597





**F O R M A**  
**INQV**ISITIONIS HIS-  
panicæ instituta in infe-  
riori Germania  
Anno  
**1550.**

Pfal. xxxvi.

Gladium euaginauerunt im-  
prij, intenderunt arcum suum, ut  
deiciant pauperem & inopem,  
ut trucident rectos corde.

Gladius eorum intrabit in  
corda ipsorum, & arcus eorum  
confringetur.

